SIMONIS KARSTEN

ORATIO

DE

CAUTIONE ADHIBENDA IN VERITATIS INDAGATIONE,

IN AUDITORIO

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

HABITA D. XXV MARTII MDCCCXLVII,

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS DEPONERET.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCXLVII.

ORATIO.

SIMONIS KARSTEN

ORATIO

DE

CAUTIONE ADHIBENDA IN VERITATIS INDAGATIONE,

IN AUDITORIO

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

HABITA D. XXV MARTII MDCCCXLVII,

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS DEPONERET.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCXLVII.

L. S.

Orationem hanc lecturis duo sunt quae praecipienda habeo: unum iis qui ipsam, quum haberetur, audiverunt, alterum iis qui nunc primum cognoscant. Illi si unum alterumque locum animadvertant quem audire se non meminerint, sciant haec non postea a me addita, sed inter dicendum omissa fuisse, ne audientium patientia abuterer. Hi si fortasse in quaedam incidant, quae minus aperte aut explicite dicta videantur, cogitent orationem hanc destinatam fuisse certae audientium coronae, cum qua dicenti propria quaedam intercedebat necessitudo. Quod nunc eam in publicum edidi, feci partim amicorum voluntati obsecutus, partim ut et ipse, quantum in me esset, diei hujus anniversarii memoriam more majorum servarem, dum spes impleatur fore ut Annales Academici, *ante paucos annos calamitosa tempestate abrupti, vel potius, ut speramus, interrupti, aliquando reviviscant.*

Scr. Trajecti ad Rhenum, m. Aprili, 1847.

Στέργοι δέ με σωφροσύνα, δώρημα κάλλιστον θεῶν!

EURIPIDES.

Academiae rheno-trajectinae curatores, viri nobilissimi, amplissimi! Qui his ab actis es, vir consultissime!

Doctrinarum et artium professores, viri clarissimi! Lectores eruditissimi!

Qui in hac provincia et hac urbe potestate et auctoritate estis conspicui, viri honoratissimi!

Sacrorum antistites, artium et disciplinarum doctores et magistri, viri gravissimi, doctissimi, consultissimi!

Academiae hujus cives, commilitones ornatissimi!

Quotquot ad solennia haec celebranda convenistis, auditores optatissimi!

Quam saepe a doctis et indoctis praedicari audimus, nostram hanc aetatem multarum rerum intelligentia et artium doctrinarumque scientia superioribus seculis omnibus longe antestare. Neque vero est cur id aut infitiemur aut magnopere miremur, si reputemus, quam multae cognitionis viae et opportunitates recentioribus temporibus sint apertae quae olim erant clausae. Quot naturae mundique partes longa et assidua indagatione, observatione, computatione patefactae, quot temporum monumenta e tenebris prolata, quot regionum situs et proventus, quot populorum linguae, artes, mores reperta et cognita sunt! Quam

multae res occultae sive in mundi natura sive in rebus humanis paullatim vel singulorum pervestigatione vel conjuncta multorum opera indagatae et illustratae sunt! Quibus omnibus effectum est, ut partim novae artes et doctrinae effloruerint, aliae, quas antiqui aut leviter tantum tetigissent aut parum recte tractassent, emendatae et auctae sint. Num mirandum, si talibus adjuta subsidiis mens mortalium pedetentim ad pleniorem et clariorem rerum divinarum humanarumque intelligentiam processerit?

Est profecto, AA. quod nostrae aetati haec scientiae incrementa gratulemur. Sed quo longius progredimur, quo altius tendimus, eo diligentius caveri oportet, ne mentis nostrae acies quasi lucis splendore praestringatur, aut studii impetu velut vento abrepta de rationis via declinet. Ut enim qui per vastum mare passis velis navigant cautos esse decet, ne in vada aut gurgites incidant, ita quoque in immenso doctrinarum campo, quo incitatiore cursu ferimur, eo majore cura providendum, ut salebras et scopulos vitemus quae cognitionis iter impediunt. Audivistis saepe, AA. etiam ex hoc loco doctrinarum incrementa mentisque processus in veri cognitione digne praedicari; ne mihi, quaeso, audientiam negetis, si molestias et impedimenta commemorem quibus veritatis indagatio obsepta est. Argumentum quidem hoc non tale esse fateor, quod aut novitate aut splendore tangere animos magnopere possit; quin etiam fore arbitror, quibus illud ad retardanda quam ad incitanda studia aptius videatur. At si reputemus, ita nos homines comparatos esse, ut interdum calcaribus,

interdum frenis egeamus, et tam submisse monentes quam magnifice praedicantes suo tempore posse prodesse, fore confido ut et vos, viri doctissimi amplissimique, et vos, lectissima juvenum corona, benigne me audiatis dicturum *de cautione adhibenda in veritatis indagatione.*

Quis infitietur nihil esse homine dignius aut quod latius pateat quam veri studium? Est illud natura in hominum mentibus insitum, apparet in pueris, cum aetate ingeniique cultu crescit, et quo quisque est indole excellentior, eo acrius veri amore ducitur. Quam late autem pateat, statim quisque agnoscat qui artium doctrinarumque consilium animo consideret. Quid est enim summum illud, quo omnis investigatio spectat? nihil aliud, credo, nisi veritatis cognitio. Historici annales populorum pervolvunt et annosa monumenta praeteritorum seculorum scrutantur, quo consilio? ut veram rectamque rerum, temporum, hominum imaginem repraesentent. Cur physici naturae vires et rerum elementa indagant, coeli siderumque motus et intervalla metiuntur, in ima terrae viscera penetrant? ut veram naturae vim mundique fabricam cognoscant. Cur critici desudant in vetustis codicibus excutiendis, lectionibus conferendis, verbis sententiisque ponderandis et examinandis? ut sinceram vetustatis manum et germanam antiquorum scriptorum effigiem instaurent. An reliquas disciplinas commemorem? Interroga jurisprudentem, theologum, philosophum, quid spectantes vel in civitatum naturam hominumque jura et officia inquirant, vel augusta

religionis effata et divinae providentiae vias explorent, vel occultas naturae leges abstrusasque mentis notiones indagent? omnes respondebunt: propositum sibi esse ut quid verum sit in rebus divinis vel humanis, in mundi natura vel hominum moribus, anquirant, idque errorum et superstitionum commentis exutum clarius ostendant. Quodsi vero aliquis dicat, multas illarum disciplinarum propter utilitatem potius vel liberalem animi cultum et delectationem coli quam veritatis studio: fatendum, plerasque earum utilitatem et voluptatem comitari, sicut umbra corpus comitatur; attamen si quaerimus, quid sit praecipuum, quid ultimum quo omnis cognitio et doctrina tendat, non dubito quin omnes mihi assentiantur, id in eo positum esse, ut unumquidque noscamus tale quale est, opinionum commentis et fallaci specie liberatum, hoc est, id quod verum appellamus.

Apparet inde, quam late veritas pateat. Quibus autem stimulis veri studium hominum mentes impellat, agnoscamus, reputantes quam ardua et molesta multi ausi et perpessi sint scientiae comparandae gratia; quos labores et curas multi tolerarint, quae pericula adierint, quae damna atque supplicia adeo pertulerint, ut animos veritatis pabulo nutrirent! An ullum lucrum tam acriter stimulare hominum studia potuit quam scientiae amor? Quem autem modum, quam metam ponunt investigandi industriae? Mundi polos percurrunt, terrarum viscera scrutantur, vetustatis memoriam eruunt, remotissimorum temporum et populorum monumenta, artes, linguas explorant; quae autem doctrinae cognitionem fugiunt, ratione anqui-

runt, occulta rerum principia causasque indagant, universi ordinem, quo tam supera quam infera continentur, mente investigant. Haec cogitantes nonne vere ANAXAGORAM praedicasse censemus, nihil esse homini in vita magis expetendum quam naturae verique contemplationem? et quod de pulcri idea dixit PLATO, eam, si oculis cerneretur, mirabili sui amore omnes inflammaturam, nonne rectius etiam de vero dici queat?

Sed est ut proverbium dicit: Ardua quae pulcra! Eadem illa veri indagatio multis obsepta est difficultatibus, quibus cognitio impeditur et mentis acies obtunditur. Imbecilli et angusti sunt sensus, quamvis omnibus artis instrumentis adjuti, ad naturam explorandam; fallax est judicium et mens in ratiocinando facile labitur. Quam frequenter vero in contemplando nescio quibus molestiis et sensuum visis dissipatur animus et a cogitandi diligentia avocatur! Quam saepe vel aegritudine aliqua vel cupiditate vel affectione rationis lux praestringitur! Porro quum ad cognoscendum utamur animo et corpore, etsi sunt qui haec ambo unum esse adseverant, quam raro tamen amice conspirant! quam magnum est saepe sensuum mentisque discidium! Nonne saepe fit ut, dum illi vigilant, haec dormitet; dum haec operi intenta est, illi aliud agant. Et prout quisque in sua arte et studio vel mentem vel sensus magis adhibere consuevit, ita altera illarum partium promptior et acutior est, altera tardior et hebetior. Qui in rebus corporeis scrutandis, ponderandis, metiendis occupari solent, hi inter-

dum caeci sunt ad ea quae sensuum vel instrumentorum aciem fugiunt; contra qui in mentis notionibus toti sunt defixi, haud raro hebetiores sunt ad ea quae sensuum ope et experientia noscuntur. Sed ipsius etiam animi vires quam saepe sunt dispares et inaequales! Hic acute cernit in mathematicorum numeris et figuris, ad musicorum numeros et poësis imagines obtusus est. Quam raro variae ingenii mentisque facultates prorsus inter se conspirant! Quis mortalium omni ex parte sapit et viget? Quis, non dicam omnibus horis, sed vel unius horae momento totus videt, totus audit, totus intelligit?

Sed non modo virium inopia, etiam voluntatis nostrae vitio veritas saepe obtegitur. Si enim candide fateri volumus, omnes praejudicatis opinionibus ducimur, omnes nostra placita magis fovemus quam aliena, contra aliena peccata ocius cernimus quam nostra. Inest enim in omnium animis tacita quaedam assentatrix, innata illa *φιλαυτία*, cujus susurrus nos quasi Sirenis voce incantat: hanc expellas licet furca, tamen usque recurrit. Quis est historicus, quis criticus, quis philosophus, qui non se plus vidisse quam alios, non se rem acu tetigisse, non se naturae rationisque arcana perspexisse putet? Et tamen quis est horum, quamvis ingenio doctrinaque excellens, qui non in multiplicem et justam doctorum indoctorumque reprehensionem incurrerit? Praeterea ut corporum, sic animorum quoque varius est habitus et vultus, et in judicando quisque suo sensu ducitur. Alius est natura cautior, alius audacior; alius ad credendum, alius ad dubitandum pronior. Alter est recepti moris tenax,

reverens antiquitatis, lubenter sequens ea quae religione, fide, auctoritate commendata sunt; vetera ut tuta tuetur, nova ut temeraria spernit. Alter est novarum rerum amans, vetustatis auctoritatem et monumentorum fidem parvi facit, antiqua ut obsoleta facile contemnit, recentia cupide arripit et fovet. Itaque ut in vita sic in doctrinarum cultu alii sunt stabiles et sedati, alii mobiles et impetuosi; alii dogmatici, alii sceptici; alii recepta tuentes, alii nova sectantes. Quam pauci, studio vacui et integro usi judicio, colunt auream illam σωφροσύνην, quae nimium omne evitat?

Accedit phantasia, assidua illa sensuum mentisque comes: quidquid animo agitas, haec statim praesto est; rerum visa et notiones vix inchoatas ornat et auget, rationem antevertit, et vera falsis miscens speciosas fingit imagines, quibus decepti quam facile de placido et sobrio mentis statu depellimur! Hinc tot praejudicatae opiniones, tot praepostera judicia et inania commenta, quae saepe imprudentes nos fallunt et adducunt ut exiles umbras pro vivis formis, vigilantium somnia pro veritatis effatis amplectamur. Quid plura? Nonne haec reputantes fateamur, merito jam veteres questos esse, lubricam rem esse veri indagationem? Pleni sunt sapientum libri querelis, veritatem caligine obductam esse, imbecillos esse sensus, mentem velut carcere inclusam, omnia denique τυφλὰ καὶ κωφά: quare si particulae quaedam veritatis tanquam lucis scintillae nobis appareant, at ipsius deae manifestum vultum intueri mortalibus non concessum esse, ac frustra laborare qui universum se mente complecti posse confidant.

At objiciat quis: Audio, et fateor fallacia esse hominum judicia, veritatem tenebris obseptam; sed quod singuli videre non possunt, id cunctis potest contingere; quae non unius hominis, unius aetatis aut populi studio noscuntur, ea collatâ multorum seculorum operâ nosci queunt. Superiorum inventa augentur novis, veteres errores corriguntur seriorum repertis: ita veritatis scientia paullatim crescit: e grano fit pedetentim cumulus, e multis igniculis tandem clara lux excandescit, quae erroris tenebras magis magisque dispellit. Quidni ergo speremus, assidua doctrinae rationisque investigatione eo procedi posse, ut tam in divinarum quam humanarum rerum cognitione veritas aliquando manifesto lumine se pandat? Fateor, AA. multa cogitando et experiendo esse aperta et illustrata quae prius ignota vel obscura erant mortalibus; multo etiam plura restare quae investigando aperiri queant. At quam infinita est quaerendi materies — et ne unam quidem rem quamlibet penitus adhuc novimus! Si autem singuli sunt fallaces, an cuncti erant fallaciae immunes? Errorum commenta delet dies, fateor; at idem dies novos usque errores parit. Progredere quantum potes, nusquam nec metam indagandi nec finem errorum inveneris!

Verum audio aliquem me increpantem: Quorsum hae cantilenae toties decantatae? Num igitur in scientiae investigatione et studiorum cursu subsistamus? num lubrica et ardua metuentes in desidia languescamus? Quis est tam stupidus aut iners, AA. qui insitum ingeniorum motum et naturalem mentis vim cohibere vel retardare velit aut possit? Quis tam

stolidus qui, machinis inventis, manibus laborare malit? Alacriter incumbendum in studia, audendum sapere; sed caveamus ne quasi vento abrepti sublimia sectantes inania captemus, neve inchoata pro perfectis, simulata pro veris habeamus, et sero animadvertamus nos nubem, ut ajunt, pro Junone amplexos. Imitemur in omni doctrinae studio SOCRATIS illam modestiam, qui diligenter videbat, quid valeant humanae vires, quid ferre recusent, quique multa assidue quaerens et sciscitans, pauca se scire profitebatur.

Sed sentio, me nimis late et generatim loqui; quo clarius appareat quid velim, rem exemplis quibusdam declarare juvat: unde autem potius exempla petam quam ex eo disciplinarum genere, quód Ordini, cui adscriptus sum, philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum est mandatum.

Ut a mea arte incipiam, quisque novit in literarum disciplina praecipuum locum tenere criticen, a multis liberalium artium reginam praedicatam. Haec sive ars sive facultas id sibi propositum habet, ut in litterarum monumentis vera a falsis, recta a pravis distinguat, antiquorum scripta maculis purget et in pristinum nitorem restituat, ut dictorum factorumque fidem et auctoritatem ponderet, veritatis testimonia ab erroribus et commentis secernat. Opus praeclarum sane et arduum! Quis non admiretur criticorum industriam, qui indefessa cura vel in vetustis libris eruendis, vel in testimoniis comparandis, vel in verbis sententiisque examinandis elaborant, ut verum reperiant? Quis non agnoscit, quantum emolumenti

illorum solertia et eruditio litteris, historiae, omni denique antiquitati attulerit? Quanto politiores nos hodie classicos scriptores legimus quam nostri proavi! Quanto acutius et rectius nos multa judicamus quam illis contigit! Quam multi libri, quam multa testimonia et facta, quae olim pro veris et probatis habebantur, incerta et ficta esse compertum est; alia vicissim, prius suspecta, serius critices ope firmata sunt! Merito igitur ars critica fax litterarum habenda est; nihilominus fatendum, eandem haud raro tenebras offudisse veritati. Evolve scriptores veteres, ex. gr. SOPHOCLEM, PLATONEM, CICERONEM, HORATIUM, et perlustra criticorum commentarios, mirabere non pauciores fere eorum conjecturas diem redarguisse quam comprobasse. Indicio hoc est, quam lubrica res sit ars critica et quam caute in ea factitanda versari oporteat. Idque ex ipsius natura et ratione effici potest. Versatur quippe magna pro parte in talibus rebus et argumentis, in quibus non evidens cognitio, sed probabilitas tantum inest. Nam sive de verbis et sententiis, sive de factis et testimoniis quaeritur, haud raro lubrica est interpretatio, ambigua optio, dubia auctoritas: litterae sunt mutae testes, nec adstant ipsi auctores quorum sententiam sciscitari possimus. Itaque pondera sedulo rerum momenta, excute diligenter testimonia, saepe ultra id quod probabile videatur progredi non poteris. Quo autem minus evidentiae in rebus inest quoque plus loci relinquitur dubitationi, eo sumus ad tentandum et conjiciendum procliviores. Testium et documentorum penuriae subvenit ingenium quod dubia explicet, obscura illustret,

depravata corrigat. Periculosae profecto plenum opus aleae! Nam, ne dicam quam facile ingenii illecebris decipiamur quamque lubenter nostra cogitata et inventa in classicos scriptores inferamus, in judicando ducitur suo quisque sensu: quae cujusque auribus, sententiae, animo placent, ea facile probat, contraria rejicit; hic laxior est et facilior, hic justo severior et morosior; quis autem est, quamvis ingenio et eruditione praestans, qui non dicam omnis Latii et Helladis notitiam complectatur, sed qui vel unius cujusdam excellentioris scriptoris mentem et formam, cogitandi dicendique modos et figuras, animi orationisque lineamenta omnia ita cognita habeat, ut quid quoque loco absonum, quid consonum sit, tuto pronuntiare possit? Excellens in primis criticus fuit RICH. BENTLEJUS, in quo viro eruditioni par fuit inveniendi sagacitas et judicandi acumen. Ejus dissertationes de PHALARIDE semper ab omnibus exemplum facultatis criticae praedicatae sunt; nec minus illustre doctrinae et subtilitatis monumentum reliquit HORATII editionem, quae omni tempore maximo pretio aestimabitur. Et tamen ex tot emendationibus et conjecturis quamvis nitidissimis, quibus ille Flaccum suum ornavit, quam paucae tempore probatae et receptae sunt! Tam lubricum est scriptorem aut poëtam, ingeniosum praesertim et facetum, ad suum sensum vel ad communem cogitandi et loquendi normam corrigere.

Idem BENTLEJUS exercitatissimus fuit in versuum numeris et quasi fundamenta jecit doctrinae metricae, quam nostra aetate GOD. HERMANNUS, AUG. BOECKHIUS, GUIL. DINDORFIUS aliique exaëdificarunt. Ope-

rosa ars et subtilis, quae interiorem poëmatum fabricam et quasi spiritum eorum rimatur, efficitque ut et vim ac suavitatem poësis plenius percipiamus, et numerorum indiciis ducti multos naevos emendare possimus, quibus lyricorum, tragicorum, comicorum scripta sunt maculata. Quare praedicanda jure est illorum solertia qui varias metrorum formas et carminum modos descripserunt et singulorum leges explicuerunt; si quis vero hac scientia confisus audeat omnia PINDARI, AESCHYLI, SOPHOCLIS carmina rigide ad metricas regulas revocare, quidquid ab his recedat suo arbitratu corrigere, nae illi verendum ne temeritatis culpam vix effugiat. Quis enim, quamvis digito et aure callens, definire queat, quid veniae in liberioribus praesertim numeris poëta sibi indulserit, quid incuria admiserit, quid cantus vel pronuntiatio ei concesserint?

Sed non tantum in verbis numerisque, non tantum in singulis sententiis et testimoniis examinandis ars critica occupata est, eadem altius quoque spectat. Quum enim assidua et diligenti lectione scriptorem aliquem penitus cognoverit in ejusque, ut ita dicam, familiaritatem intrarit, informat sibi doctrinae illius ingeniique effigiem, ad quam deinde scripta ejus examinans, vera et sincera a suppositis et corruptis secernat. Haec facultas est apex artis criticae, cui debemus quod multa opera, gloriosis quondam HOMERI, DEMOSTHENIS, PLATONIS, ARISTOTELIS, aliorum nominibus splendentia, falsis his titulis exuta sunt. Sed eadem res quantam judicii severitatem, quam acrem veri sensum postulet, quis non videt? Dum enim

scriptoris speciem mente adumbramus, quam facile vel affingimus aliquid veritati vel detrahimus! Et quam saepe ipse scriptor est dissimilis sui propter diversam materiem vel aetatem vel aliquas temporum opportunitates! Exemplo sit PLATO, cujus libros legentibus mira apparet doctrinae, ingenii et coloris diversitas: idem est in aliis dialogis simplex et lenis, in aliis subtilis et acutus, in aliis elatus et copiosus, ut vix crederes ab eodem ingenio tam dissimilia opera esse profecta. Quae res nonnullos excellentes criticos aliquando fefellit. An citem vobis SCHLEIERMACHERUM et ASTIUM, utrumque acumine et eruditione praestantem et in Platonis lectione maxime versatum: quorum alter quum Platonis scripta in justam disciplinae formam ordinemque redigere vellet, alter exigeret ea ad certam rationis orationisque speciem, uterque Platonis philosophiam eximie quidem illustrarunt, attamen nimis angustis eam coarctarunt finibus; uterque permultos ejus dialogos pro suppositis ejecerunt, parum probabilibus usi argumeniis. Videlicet non satis attenderunt, alia fuisse adolescentis scripta, alia juvenis, alia maturae aetatis, alia senescentis; alia denique ab auctore inchoata fuisse, alia perpolita: ita recti quadam specie decepti in errorem inciderunt, qui cautiorum judicum censuram haud effugit.

Loquebar de literis. Quid dicam de historia omnique antiquitate, quae Graece latiore *ἀρχαιολογίας* vocabulo nuncupatur? Hujus cognitio quis ignorat quantam cavendi curam postulet, in iis praesertim rebus quarum notitia non claris consignata monumentis, sed obscuris indiciis vel fama prodita est? Ex hoc

genere sunt populorum urbiumque incunabula, artium et institutorum initia, religionum et fabularum sensus et origo. Admiranda est sane sagacitas eruditorum qui operam navarunt ut abditas has vetustatis partes eruerent et illustrarent; attamen horum ipsorum exempla nos docent, quam lubrica sit haec indagandi via et quam difficile sine prolapsione in ea insistere ac progredi. Praestantem imprimis historicum, tam veri amore et sagacitate quam eruditione admirabilem, NIEBUHRIUM fuisse omnes agnoscunt. Quis illo praeclarius de historia Romana promeritus est? Nihilominus in iis quae de prisca Romae conditione et historia disseruit, quaedam esse acutius disputata quam verius, nemo diffitebitur: ex. gr. quod de gemina Romanae gentis natura et de duplici urbis origine, Roma et Remuria, commentus est; vel quod antiquissimam Romanorum historiam omnem fluxisse voluit e priscis quibusdam carminibus quae olim Latini vates Faunique cecinissent, quorum adeo vestigia in Ennii versibus et Livii historiis agnoscere sibi videbatur. Haec opinio, nullis nixa historiae testimoniis, effecta est praesertim comparatione aliorum populorum, imprimis Graecorum: ut enim apud hos poësis olim fuerat historiae parens, similiter apud Romanos quondam fuisse, et quidquid in vetere Romanorum historia fabulosum esset, e priscis Latii carminibus derivatum credidit. In quo tamen mirere non animadvertisse acutissimum virum, quantum populi Romani origo et indoles ab aliis gentibus, Graecis praesertim, distaret. Ita praejudicata opinio, si semel infixa haeserit, etiam sagacissimi ingenii aciem interdum fallit.

Nihil vero obscurius est quam indagatio sacrorum, rituum et fabularum quae de diis narrantur, ut non mirum sit his de rebus tantam esse interpretum discrepantiam. Ingredere mythologiae campum, qualem in labyrinthum induci te putas! Si satis tibi sit nosse veteres fabulas, quales a poëtis et scriptoribus narratae sunt, expedita est via; si porro in his propriam cujusque nationis indolem velut lineamentis quibusdam adumbratam agnoscere studeas, haud desunt satis clara vestigia; si vero his non contentus in fabularum illarum sensum et originem penetrare cupias, quaestionem moves multa caligine involutam. Quid enim? Perspectum est, quod cuivis attentius legenti appareat, Homerum et Hesiodum, qui theogoniae auctores apud Graecos habiti sunt, multa ab antiquioribus vatibus accepta vel fando prodita partim non intellexisse, partim poëticis fictionibus adulterasse. Itaque statim quaestio oritur: quae fuerit fabularum illarum nativa forma, fucato illo colore et habitu exuta? unde ductae in novas formas migraverint? sintne in ipsius Graeciae gremio ortae et educatae, an ab Oriente illuc derivatae? Ad haec cognoscenda non sufficiunt limpidi illi fontes et amoeni poëtarum horti; avia dumeta tentanda sunt, omnes artes et machinae adhibendae: rimanda vocabulorum etymologia, scrutandi veteres ritus, comparandae diversorum populorum fabulae. Haec autem interpretandi ratio, quae etymologia et analogia continetur, quam conjecturalis et fallax esse soleat, experientia tam in aliis doctrinae partibus quam in hac de qua loquor probavit. Ut e multis exemplis unum afferam, celebratissimum

est FRID. CREUZERI, summi viri, opus, in quo Graecorum mythologiam adhibitis placitis Indorum, Persarum, Aegyptiorum aliarumque gentium interpretari instituit: quod opus ut est alti ingenii et praeclarae eruditionis monumentum, ita in varias incucurrit reprehensiones, sive quod auctor similitudinis specie deceptus diversa miscuisset, sive quod testibus ad probandum usus esset parum idoneis, sive quod quaesita aut prava interpretatione sensum corrupisset. De quibus ut nostrum non est judicare, ita illud dicere non vereor, etiamsi generatim assentiare Creuzeri judicio, esse inter diversas omnium gentium religiones et fabulas cognationem quandam omnesque ab uno augustoque fonte fluxisse, tamen id singillatim expiscari velle opus esse *ἄκρου κολυμβητῆρος*, et incredibilem postulare cautionem ut salvus e profundo emergas.

Quorsum vero haec? Num eo spectant ut quemquam vel ab obscurarum rerum indagatione vel a critica arte exercenda deterream? Multum abest: nam et critice eximie valet tam ad acuendas mentes quam ad litterarum cognitionem aperiendam, et ipsae illae vetustatis latebrae miris quibusdam stimulis nos ad se trahunt, earumque investigatio latiorem rerum prospectum nobis aperit. Quid? quod ipse fateor me non sine delectatione interdum devia sectari, interdum periclitari aliquid fortasse audacius. Sed volo clarorum virorum periculis memetipsum et juventutem hanc moneri, quam caute et diffidenter in talibus rebus versari oporteat, quantaque cura providendum sit ut modum teneamus; siquidem etiam in doctrina usu venit illud quod in vita respicere nos jubet vetus

poëta: *ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός*, *quanto satius sit interdum dimidium habere quam totum.*

Tandem veniam ad eam disciplinam, in qua veri cognoscendi studium et facultas mortalibus insita maxime elucent. Intelligitis, AA., me philosophiam dicere, h. e. eam disciplinam, quae non fluxa mutabilium rerum cognitione nec particula aliqua veri indaganda contenta est, sed quae in ipso veritatis quasi prato versata, res quales per se sint considerat. Haec intelligentiam a sensu avocans, rerum genera et formas mortali concretione exutas intuetur, rationes causasque vitae et morum, agendi et intelligendi scrutatur, atque in intimum mentis recessum penetrans, cogitationem intendit ad contemplandas ideas, aeterna illa veri, boni et pulcri exemplaria, quorum notitiam divinitus animis insitam, vel, ut Plato dicebat, e prioris vitae reminiscentia haustam in hanc vitam attulimus; denique ad coelestia se erigens anquirit ipsam summi principii naturam, quo tanquam puro fonte origo rerum omnium et harmonia universi contineatur. Sed latior et augustior est philosophiae campus, quam ut ego, AA., qui non nisi limen templi tetigi, omnem ejus amplitudinem capere aut verbis assequi valeam. Quae vero dixi sufficiant ad indicandum, nullam mea sententia disciplinam esse in qua coelestis animi origo et divina cognatio clarius eluceat, nullam quae ad ingenii animique cultum uberior esse possit quam philosophiam. Et tamen mirum est dictu, quam multos illa omnium artium parens omni tempore nacta sit adversarios. Hujus rei

causam si quaerimus, posita sit partim in nostra quadam vulgarium hominum segnitie aut tarditate, partim vero etiam, nec minime, si PLATONEM audire volumus, in ipsorum culpa philosophorum, vel potius eorum, qui splendido sapientiae titulo capti invita Minerva in philosophiae possessionem invaserunt. Nec temere Platonem sic existimasse, arguit, opinor, historia philosophiae. Videlicet ut magnifica, ita ardua res est philosophari, atque si usquam, hic sane valet vetus illud proverbium: *πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, βάκχοι δέ τε παῦροι, multi thyrsigeri, bacchi vero pauci!* Percurrite animis sectas philosophorum, haud paucos in his reperietis, quorum omnis paene scientia in inani argutiarum aucupio fuit occupata; alios, qui captiosis ratiunculis veritatis et honestatis fundamenta labefactarunt. Cogitate exempli causa Sophistas, Megaricos, Epicureos, quorum plures, quamvis docti et acuti, tamen philosophorum nomine fuerunt indigni! Sed hos ut omittam, ii ipsi, qui cum ingenii et doctrinae excellentia sincerum veri rectique amorem conjunxerunt, quam longe saepe aberrarunt! Nullus autem error est crebrior quam ille, quem in omni vita SOCRATES insectari solebat, quod multi scire se putant quae nesciant aut pro falsis rejiciunt quae non intelligant. Multi si partem aliquam veri perspexissent, jam omnem penitus scientiam se assecutos putabant. Fuerunt, exempli gratia, qui in rerum elementis et viribus indagandis occupati, occultam naturae fabricam et abditas rerum causas legesque acute cernerent, eam vero vim, cujus notitia omnium animis infixa inque toto mundo expressa est, non vi-

derent; qui divinum numen aut separarent a mundo aut plane tollerent. Alii in mentis contemplatione defixi, adspectabilem naturam, ut fluxam et caducam, pro vano simulacro habebant, solum verum credebant naturam quandam intelligibilem, quam ens appellabant, aeternam illam et immutabilem et plane sui similem: magnificam sane speciem, speciem tamen, vitae mentisque expertem! Loquor de antiquis, AA., in quibus me plus quam in recentioribus versatum esse fateor. Si tamen ad recentiores venire vellem, etiam hic, opinor, indicari possent, qui philosophiam, illam virtutum cultricem, magistram reddidèrunt vitiorum; etiam hic fuerunt quidam ita in materia infixi, ut nil agnoscerent nisi quod scalpello rimari vel mensura aut pondere assequi possent; etiam hic non defuerunt, qui abstractas notiones pro solidis formis, umbras pro veritate haberent. Quis autem, qui vel ultimis labiis philosophiam attigerit, non animadvertit quam multa in disserendo tanquam cognita et perspecta in medio ponantur, quorum non nisi exiles et complicatas habeamus notiones; quam multa item ut certa fateri ratio et conscientia cogatur, quae tamen intelligere et explicare frustra adhuc studuerunt.

Ostendunt haec, quam imbecilla sit in maximâ naturae excellentiâ humanae mentis acies; et nonne mirabimur, exstitisse philosophos, qui universi mundi amplitudinem se capere, principium et processum rerum omnium se ratione perspicere et inde quaecumque sint aut esse possint, summa, media, ima, quasi rudentem evolvere posse confidant? exstitisse, qui rationis suae decretis tantopere confidant, ut quaecum-

que haec excedant, divina effata, historiae testimonia, repudiare non vereantur? Nae illi videant, ne clara illa lux multis caliginis maculis sit suffusa! Redeo ad id quod modo dicebam: praeclara res est philosophia et omnium studiis dignissima, sed magnam judicii severitatem, majorem etiam animi moderationem postulat. Quare si philosophiae studioso recte praecipitur illud: *Sapere aude!* non minus recte moneatur alterum illud: *Modum serva!* Quamvis alte quis investigando penetret, ne speret se infinitum comprehendere aut absolutum perspicere posse, sed teneat, etiam nunc valere quod quondam Agrigentinus sapiens cecinit: *Frustra quis confidat se universum perspicere posse, quod nec visus mortalium nec auditus nec intellectus unquam assequetur* *). Teneat quod parens philosophorum profitebatur: *Revera sapientem esse Deum, humanam vero sapientiam parvi esse pretii!* †).

Sed audivi aliquando dicentem: Cur igitur sapientiae studeam, cur in philosophia elaborem, si tamen veram scientiam consequi numquam potero? Lepida sane quaestio! Numquis item quaerit: Cur felicitatem, cur virtutem omni ope mihi comparare studeam, quum tamen veram quoque virtutem et solidam felicitatem nemo mortalium sit consecutus? Illud vero mihi quis objiciat: Esto; fateor et philosophiam et omnes doctri-

---

*) τὸ δ' ὅλον . . εὔχεται εὑρεῖν
αὔτως, οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἄνδρασιν οὔτ' ἐπακουστὰ
οὔτε νόῳ περιληπτά.

Empedocles, vs. 37 sq.

†) τῷ ὄντι ὁ θεὸς σοφός, — ἡ ἀνθρωπίνη σοφία ὀλίγου τινὸς ἀξία ἐστὶ καὶ οὐδενός.

Socrates, in Plat. Apol. p. 23.

nas, exceptis fortasse mathematicis, erroribus implicatas esse; at ipsi illi errores mentem acuunt et ad sapientiam conducunt: consule historiam omnium temporum, non aliâ viâ ad altiora pervenire nisi per devias semitas et tortuosos anfractus ulli contigit: ergo qui sapere cupiat, errare ne reformidet, aut domi sedeat tutus timidusque et humi serpat! Concedo equidem, AA., verum et falsum artissime cohaerere, ita ut alterum sine altero adipisci haud facile sit: attamen aliud est humi serpere, aliud Icariis pennis per vacuum aërem ferri! Errores ad veritatem ducunt: etiam seditiones et bella ad concordiam et pacem, etiam morbi ad valetudinem conducunt: quis tamen propterea audacter in bella et pericula se conjiciat, ac non potius omni cura ab iis caveat? Quemadmodum in vita rectius vivitur secundum HORATIUM, *neque altum semper urgendo nec litus nimium premendo,* sic quoque in doctrinae studiis plus proficiamus extrema vitando et sequendo auream illam regulam, quam ut divinitus praescriptam Graeci omnibus commendarunt: *Μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον!*

Jam officium hujus diei a me postulat ut Academiae statum, qualis hoc anno fuerit, et quae ei prospera vel adversa obtigerint, commemorem.

Multa quidem laeta, haud pauca vero etiam tristia hic annus tulit. Jam statim initium mei muneris luctuosum fuit tristi morte Caroli Guilielmi Hager, qui oriundus e M. Ducatu Hessiae, quum per aliquot annos in hac Academia theologiae operam navasset, proximi anni d. XXX m. Martii flebili fato occidit.

Mensis Junii d. III luximus Joannem Carolum van Brakel, Rheno-Trajectinum, Jurispr. studiosum, quem juvenem tam morum candore quam indefessa spectatum industria in medio curriculo tabes absumsit.

Mensis Septembris d. IX obiit Joannes Theodorus Elias Endtz, Helmondensis, qui vix publico examine probatus nomenque inter Academiae cives professus erat, quum repentinus morbus velut tempestas eum ab optato cursu avertit.

Mensis Octobris d. IX mortuus est Joannes Hermanus de Gier, Rheno-Trajectinus, qui per plures jam annos strenue in literis elaborabat. Quis praeceptorum et amicorum juvenem hunc non amavit? quis honestatem ejus et virtutem non suspexit? Sed animi contentioni impares erant corporis vires; lenta tabes eum exhausit, desideratum parentibus et Academiae, quae funebrem sodalium pompam tacito luctu est prosecuta.

Mensis Novembris d. VII obiit Janus Ludovicus Tilanus, Arnhemiensis, tam hujus Academiae quam Athenaei Amstelodamensis alumnus, qui ita strenue in medicas artes incumbebat, ut claro patre dignum se filium aliquando fuisset praestiturus; vehemens vero febris eum justae parentum et doctorum spei eripuit.

Ejusdem mensis d. XXIX exstinctus est Gerardus Eliza Steenhoff, Veteraquensis, Theologiae studiis destinatus. Laterum infirmitas, qua jam pridem laborabat, pedetentim augescens tandem omnem valetudinis restituendae spem fefellit eumque abstulit ab Academia, cui ostensus potius fuerat quam datus.

Pari valetudinis infirmitate affecti occiderunt proximi

anni d. XXII m. Decembris Arentius Paling, Woerdensis, Medicinae studiosis adscriptus, et nuper d. VII Martii Henr. Hubert. Petr. van de Wall, Arnhemiensis, Juris Candidatus; alter lenta tabe confectus, alter celeri morbo absumtus. Utriusque morum modestia et doctrinae amor, tam mihi quam aliis praeceptoribus spectata, parentibus et amicis diu desiderio erunt. Funera haec reputantes, doleamus profecto saepe optimae frugis ingenia iniquo fato absumi. Haec cogitatio, AA. insatiabili nos luctu afficeret, nisi sciremus, non hanc terram, sed coelum esse nostram patriam!

Quodsi hos juvenes Academia luget, nec immemor erit senis suo tempore exstincti, viri doct. JUSTI HEINR. KOCH, Bipontini, Litt. Germ. quondam Lectoris et Academicae Bibliothecae Custodis. Quam multi nostrum hujus viri promptam operam et officiosam benevolentiam sunt experti! Erant in illo mira animi alacritas et indefessus labor festiva jucunditate condita. Saepe meminimus eum videre, quum dira podagra manus pedesque vinctos teneret, hilari tamen vultu per plateas et conclavia repentem, et baculo innixum tam muneris negotia quam amicorum officia strenue obeuntem. An mirum, si ille multorum non aequalium modo, sed etiam juvenum studio et amicitia floruit? Sed ingravescente aetate orbatus conjuge et rude donatus, urbis frequentiam fugiens rus se recepit ibique solitarius vixit, adversae valetudinis et senectutis, quibus etiam caecitas accesserat, onera conjugis recens nuptae cura et teneri infantuli caritate sublevans. Diem obiit octogenarius XXIV Augusti,

relicta vidua et filiolo, quibus haud deerit illorum benevolentia, quos patris opera et consilium tam saepe juvit.

Utinam hic possem subsistere! utinam graviores nobis casus Deus averruncasset! Crudum vero adhuc est vulnus quod Academiae huic et patriae inflixit immatura mors desideratissimi collegae ante hos tres menses nobis erepti. Praesens est omnium animis imago viri, cujus vacua sedes fragilitatis rerum humanarum tam acriter nos commonet! Non exspectatis a me, AA., ut WENCKEBACHII vitam et merita hic recolam, quod pie digneque nuper fecit unus ex hoc coetu, qui doctrinam illius melius quam ego aestimare potest *); satis et mihi et vobis fecero, si imaginem viri, qualem omnes novimus, leviter adumbrem.

GUIL. WENCKEBACHIUS Hagae natus patre honoratissimo et doctissimo, jam a teneris literarum amore, quo ille ardebat, est imbutus; adolescens autem in gymnasium Lugduno-Batavum, quod tum Bossio rectore florebat, deductus quantos ibi fecerit progressus quantaque excelluerit morum modestia et doctrinae amore, meminit unus collegarum nostrorum, qui adolescens in eodem gymnasio est eruditus. Deinde applicavit se praecipue ad naturales disciplinas, quarum studium in Daventriensi Athenaeo duce Nieuwenhusio V. Cl. inchoatum deinceps in hac Academia persecutus est. Hic qualem se praebuerit, cum ipse memini tum plures nostrum qui aequales ei aut sup-

---

*) Dr. A. S. Rueb, Astron. Lector, *Ter Nagedachtenis van W. Wenckebach* enz., te Utrecht, bij C. van der Post Jr., 1847.

pares fuerunt. Animus integer et candidus, studium alacre et indefessum, veri pulcrique pariter amans colebat aeque literas ac mathesin et physicen, aeque carus erat Schroedero et Mollio atque Heusdio et Goudoevero; philosophi pariter et philologi suis eum adnumerabant. Nec postea quum, decurso Academiae spatio, muneris occupationes ei vix quidquam otii ad litteras colendas relinquerent, amorem tamen earum unquam deposuit; quod testata est oratio ejus inauguralis ante biennium ex hac cathedra habita, in qua de matheseos et litterarum studio conjungendo ita disseruit, ut facile appareret litterarum amorem in illo mathematicorum cultu haud exolevisse. Nihilominus disciplinae naturales et mathematicae eum unice occupatum tenebant, neque solum officio, sed etiam voluntate: erat enim prorsus, ut ajunt, mathematicum caput: mira in eo indagandi et cognoscendi *ἀκρίβεια* cum singulari disserendi et demonstrandi perspicuitate juncta, quas artes ii etiam praedicabant, qui ceteroquin ad mathesin erant tardiores. Luculentius hujus facultatis monumentum exstaret, si absolvere ei licuisset opus, quod in manibus habebat, de physica populariter scriptum, quod sane specimen fuisset multiplicis et copiosae doctrinae cum singulari simplicitate et perspicuitate junctae. Diligentiae vero ejus par erat constantia et assiduitas. Si quod opus studio dignum suscepisset, nullis impedimentis aut molestiis ab eo deterrebatur. Quam obscura et operosa sit meteorologicorum cognitio, novimus sane. Hanc doctrinam olim ab ARISTOTELE inchoatam et nostra aetate laetius reviviscentem ille incredibili in-

dagandi, observandi, computandi cura et industria est aggressus, tantumque in ea profecit, ut non solum apud nostrates sed apud exteros etiam ejus nomen magis magisque celebraretur.

Sed de WENCKEBACHII doctrina ii rectius judicabunt, qui in has artes interius se insinuarunt. Quali autem animo fuerit, palam omnibus notum est. Praesens est vobis, AA., vultus ille candidus, frons aperta, recti oculi, incessus et gestus alacer, recti prompti sincerique animi speculum. In officio autem fungendo quis eo religiosior? Nimis severus subinde putabatur; severior tamen erat sibi quam aliis. Ita se inde ab adolescentia adsuefecerat, ut ab officii regula ne transversum quidem digitum discederet, nec odio nec gratia moveretur, molestias quaslibet fortiter ferret, denique sibi res, non se rebus subjungeret.

Talibus ingenii animique facultatibus praeditus quanto ille, si diutius vixisset, Academiae huic et patriae decori et emolumento fuisset futurus! Sed brevis nobis fuit cari capitis fructus. Quum enim per aliquot annos in Academia militari primum Delphis, deinde Bredae naturales et mathematicas disciplinas magna cum laude tradidisset, ante biennium Regis Augustissimi decreto huc vocatus ad mathesin docendam, quum jam laboris sui segetem laetius crescere videret, violento morbo est absumtus. Lugent eum senex pater et florens conjux tenerique liberi, lugent propinqui et amici, nec minime luget haec Academia, quae brevis illius praesentiae longam servabit memoriam *).

---

*) Natus erat Wenckebachius Hagae Comitis mense Decembri a. 1803;

Hujus calamitatis magnitudo facit ut levius fortasse quam par est commovear casibus luctuosis sane, qui nonnullos nostrum afflixerunt. Annus praesens et proximus, tam multis miser et funestus, etiam nonnullis e nostro collegio gravis fuit non solum adversa valetudine, sed etiam carissimorum pignorum amissione: vobis, dico, conjunctissimi collegae, GEORGI GUIL. VREEDE et HERMANNE ROYAARDS, quorum alter dulcem filiolam, alter fratrem et sororem germanos ereptos vobis lugetis. Aequanimitas vestra facit ut mea consolatione non egeatis, immo ut hocce die mecum Deo Optimo gratias agatis et Academiae congratulemini, quod plerisque salvos et incolumes hic adesse contigit, paucis adhuc laborantibus laeta convalescendi spes allucet. Vos quum intueor, vegetam senum, virorum, juvenum coronam, conspectus hic me recreat animumque ex tristium fatorum recordatione ad laetiora recolenda erigit.

Superiore anno lustrum Academiae agebatur alterum et quadragesimum; quod tempus festum celebrare

---

in Academiam Rheno-Trajectinam venit a. 1822, prius Athenaei Daventriensis civis, eoque ipso anno in Academia Lugduno-Batava coronatus, explicita quaestione cujus argumentum erat: *Exponatur barometri ad objectorum altitudines determinandas destinati tum constructio tum usus.* A°. 1828 mandatum est ei munus disciplinas partim mathematicas partim naturales docendi in Academia militari tum Delphis, paullo post Bredae constituta: quod munus, Belgico tumultu per sex fere annos 1830—36 interruptum, primum Lectoris, deinde Professoris titulo usque ad a. 1842 obtinuit. Dehinc honorifico otio donatus, a. 1844 in Academia Rheno-Trajectina mathematicorum cathedram obtinuit, cujus muneris professionem suscepit d. 21 Januarii a. 1845, habita oratione inaugurali *de Matheseos ac Philosophiae naturalis in Academiis tradendae consilio et methodo.* Diem obiit 2 Januarii 1847. Varia viri scripta secundum indicem, quem confecit Doct. A. S. Rueb, infra commemorabuntur.

Academica juventus decrevit. Juventutem dico; non quasi nobis aetate maturis aut provectioribus haec solennia parum cordi essent; sed hic mos est nostrorum temporum, ut juventus sua sponte suoque arbitratu omnia ordinet; et fatendum est, rem ita paratam et ordinatam fuisse ut nihil posset supra. Quis sine voluptate in memoriam revocet pompam illam et incessum juvenum Philippi II Hispaniarum Principis solennem introitum in hanc urbem repraesentantium? Res erat et pulcra et ardua: eruenda quippe e vetustis annalibus et tabulis memoria priscorum virorum et rituum; in lucem proferenda erant illorum temporum mos et habitus et vestitus; idque effectum est ea cura et arte et impensa, ut sumtum spectaculi magnificentia, magnificentiam diligentia exaequaverit. Neque festo illorum dierum apparatui incolarum exspectatio ac studium defuit. Quantus erat concursus civium et hospitum, hominum omnis ordinis, sexus, aetatis! Quot coetus et concilia sodalium tam tironum quam veteranorum! Per totam hebdomadem, a die xv ad xx m. Junii, symphoniae, epulae, acroamata, spectacula varii generis acta; omnes urbis planteae tectaque omnia tricoloribus linteis velata, ut ardente solis aestu in umbra ambulares. Quod autem jure praedicandum, in tanto concursu, tanta laetitia, tanta turba mirabilis fuit ordo; nihil factum, nihil paene auditum, quod modestiam et decus publicum laederet. Profecto haec intuentes, mirabamur in Academia juventute id quod de Atticis praedicari solebat, eos non solum tam decore, sed tam serio ludere: quid facere putetis, quando ad res severas se applicent? Et quo-

niam mores et studia attigi, gratum mihi est posse profiteri, honorifica de his esse Cl. Virorum testimonia, tam morum decentiam quam studiorum industriam laudantium. Sunt quidem nonnulli, qui justo laxiores habent vitae suae habenas; sunt qui aetatis fervore abrepti interdum labuntur; sunt qui pulchri sensu aut symphoniarum dulcedine supra modum capti, officii et decoris fines interdum migrant; hos sanior mens et meliora exempla reducant, oro, in viam! Plerique vero serias occupationes ludicris rebus anteponunt; intelligunt Academiam non esse diversorium ludi et inertiae, sed palaestram bonarum artium, quibus animi ad veram libertatem et sapientiam formandi sunt. Lubenti et grato animo accepimus honorificum specimen amoris et observantiae, quod cives Academici erga professores palam exhibuerunt; non minus vero grata nobis fuerunt documenta tam scriptis quam factis exhibita, quibus probarunt, doctrinam et honestatem et humanitatem conjunctas esse solere. Nolo referre quae verecundia suadet reticere; unum hoc specimen memorare juvat, quod proximo anno, quum in Hollandia Septentrionali morbus grassaretur, medicinae Candidati operam suam ultro obtulerunt ad medicorum et aegrotantium laborem sublevandum, eoque exemplo ostenderunt, id quod cuncti tacite sentiunt, oportere doctrinam labore partam ad communem utilitatem et salutem conferri.

Sed revertor unde paululum sum digressus. Idem ille mensis Junius non tantum hilaritati et pompae, sed severioribus etiam Musis dicatus fuit. Duo cla-

rissimi viri, JOANNES ANDREAS MULDER et CORNELIUS GUILIELMUS OPZOOMER, decreto Regio Professores extraordinarii creati, alter in Facultate Medicinae, alter in Facultate Litt. hum. et Phil. theoreticae, munus sibi delatum solennibus orationibus sunt auspicati: prior die IV ejus mensis oratione latina *de conjungendis variis artis Medicae partibus, ratione habita studii praxeos et institutionis;* alter die IX oratione vernaculo sermone habita *de Philosophia hominem secumipso reconciliante* *): uterque tanta audientium frequentia tantaque approbatione, ut facile appareret, quali desiderio ac favore cuncti novos doctores vel collegas exciperent. Neque vanum hoc omen aut inanem hanc exspectationem fuisse, experientia probavit. Quid ego nunc renovem vota quae superiore die anniversario ex hoc loco pro utroque vestrum, altero praesente, altero absente, decessor meus palam nuncupavit? Quid publice profitear gratulationes et amicitiae testificationes mutuo datas et acceptas? Ubi facta loquuntur, non opus est verbis. Reapse experti sumus non inanem hanc ostentationem fuisse; experti sumus, etiam in dispari studiorum genere et in diversis animorum sententiis exstare posse eam benevolentiam quae est suavissimum doctrinae decus et condimentum. Utinam mutuâ officiorum et sententiarum communione conjunctio illa magis magisque firmetur, et Vestra, Clarissimi Collegae, ars et eruditio diu quam plurimis tam ad bene vivendum quam ad bene cogitandum sit salutaris!

---

*) *De Wijsbegeerte den mensch met zichzelven verzoenende.* Redevoering uitgesproken door Mr. C. W. Opzoomer. Leiden, 1846.

Quam dulcis et fida sit benevolentia officii doctrinaeque communione conciliata, id nuper Tu quoque expertus est, quem oculi mei cuperent hic adspicere, Clar. JANE IS. WOLTERBEEK, medicorum nostrorum Nestor! Dies XIV m. Decembris explebat tibi annum semisecularem medicae artis in hac civitate tam fortiter quam feliciter factitatae: quo die frequens medicorum cohors, praeeunte Clar. collega PETRO JANO IS. DE FREMERY, disciplinae tuae alumni sinceras Tibi obtulerunt gratulationes, quas non solum collegae et amici, sed magna pars civium tacitis votis sunt prosecuti, ac Regii favoris insigne meritis Tuis tributum unanimi plausu approbarunt. Utinam Deus vegetam qua frueris senectutem longe Tibi proferat et grata recte factorum recordatio eam exhilaret!

Restat, AA., ut de Academicis institutis doctrinaeque instrumentis et subsidiis breviter commemorem.

Horum nullum latius patet aut ad plures pertinet quam *Bibliotheca*, quae voluminum copia assidue crescit; hoc anno praesertim locupletata est lauta accessione librorum ad Naturales disciplinas spectantium. Catalogum librorum typis impressorum jam pridem absolutum et divulgatum mox alter Mss. sequetur; tertius denique, qui libros secundum disciplinarum ordinem descriptos habebit, colophonem aliquando operi imponet.

Hortus Botanicus tam diligenti plantarum et satorum cultura quam crescente eorum copia floret et in dies augescit. Mutuo commercio semina et stirpes e peregrinis regionibus ac dissitis zonis huc vehun-

tur *) et vicissim hinc illuc transportantur. Adeo autem increvit plantarum multitudo, ut hortus et caldaria et hibernacula capere earum multitudinem non amplius possint et commodiorem locum flagitent.

Laboratorium Chemicum, non minimum hujus Academiae ornamentum, pergit abunde satisfacere tam civium quam hospitum studiis, qui vel ad scientiae investigationem vel ad medicinae aliarumve artium usum, naturae fabricam rerumque compositionem et elementa rimari cupiunt. *Museum Zoologicum* splendet nitore plumarum, pellium, ossium, squamarum omnis generis animalium, quae ibi lucido ordine disposita asservantur. *Museum Mineralogicum* loci amplitudine et instrumentorum apparatu auctum, etiam justa rerum dispositione et pleno earum indice discentium usui accommodatum est. *Specula Astronomica* et *Theatrum Physicum*, doctorum et discentium studiis trita, nihil detrimenti ceperunt.

Theatrum Anatomicum multis et pulcris speciminibus, praecipue diversarum humani corporis partium, locupletatum est, nec mediocrem accessionem sperat ex omnigenûm bestiarum copia quas Paradisus Amstelodamensis alit. *Theatrum Microscopicum* ita ditescit speciminum et instrumentorum copia, ut spondeat se intra breve tempus nulli aemulo postponendum fore. *Nosocomii* conclavia partim medicinae partim chirurgiae destinata pergunt tam discentium studiis quam aegrotantium commodis large prospicere. Sexcenti amplius aegroti omnis generis summa diligentia trac-

*) In his memorabilis fuit accessio plantarum, benevolentia viri Cons. H. Heylidy ex urbe Paramaribone Indiae Occid. huc missarum.

tati et magna pro parte curati sunt; variae operationes, in his etiam difficillimae dictuque horrendae, felici eventu peractae. Supellex chirurgiae et obstetriciae arti factitandae nil desiderat; medicinae apparatus nuper auctus est pulchra collectione speciminum arte Doct. Felicis Thibert Parisiensis confectorum, quibus varii cutis morbi repraesentantur.

Haec de Academicis institutis et doctrinae instrumentis commemoranda habui. In quibus grato animo agnoscatis, AA., Academiae Curatorum liberalitatem, qui quantum possunt conferunt ad discendi opportunitates augendas; agnoscatis item Professorum et Lectorum industriam, qui in sua quisque provincia pro virili elaborant, ut partim praeceptis partim scriptis tam Academiae decus quam doctrinarum cultum et eruditionem promoveant. Utinam vestris conatibus faveat Deus, Vosque diu incolumes servet ac Sapientiae suae luce illustret!

Jam tempus est ut hoc loco decedam et magistratum Academicum tradam viro Clar. BERNHARDO FRANCISCO SUERMAN, cui Augustissimi Regis decreto hoc munus in proximum annum est mandatum. Lubente animo Tibi, collega conjunctissime, hosce trado fasces, qui aetatem Tuam et sapientiam et facundiam tam mirifice decent. Utinam hoc munus, quod Te ob domestica fata gravare sentio, leve et jucundum Tibi reddat collegarum studium et discipulorum observantia! Utinam, Te Rectore, Academia Rheno-Trajectina tam civium numero quam bonarum artium studiis crescat, floreat! QUOD FAXIT DEUS!

Publico hujus diei officio peracto, privatum mihi restat officium, quod tam mea quam collegarum meorum VV. CC. voluntas mihi imposuit: ut exhibeam vobis Programma certaminis litterarii ab hujus Academiae Professoribus in proximum annum indicti. Quaestiones e diversis disciplinis propositae sunt hae:

E disciplina Theologica:

Exponatur vis dicti, Joh. Ev. c. IV, 22: *Πνεῦμα ὁ Θεὸς καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν*, in exponendis Ethices Christianae indole, argumento, consilio; deinde historia duce probetur, quatenus Christiani in Ecclesiae institutis, regimine, forma, illius effati vim vel attenderint vel neglexerint.

E Jurisprudentia:

Ordine historico exponatur, quinam praesertim jureconsulti locum *de lege ad praeteritum non revocanda* illustraverint, et qua ratione in componendis praecipuis illius generis controversiis versati sint?

E Medicina:

Enarrentur praecipua experimenta de aethere sensûs opprimendi caussa inhalato, tam quae adhuc descripta sunt quam quae ad proximam usque aestatem describentur; addantur propria experimenta in animalibus eo consilio instituenda, ut inde vis aetheris inhalati tum in reliquas corporis partes, tum praesertim in systema nervosum eruatur; atque ex his singulis et cunctis quid colligi possit, perspicue demonstretur.

E Philosophia Naturali:

I. Colligantur et exponantur experimenta a variis naturae

scrutatoribus instituta ad venenorum effectus in plantas explorandos, iisque propria experimenta id spectantia addantur.

II. Quum nonnulli arbitrentur, plantas anorganicis tantum principiis nutriri, alii vero eas organicis insuper substantiis e terra haustis ali existiment: quaeritur, ut exhibeantur propriae auctoris observationes et experimenta ab ipso facta, quibus, quantum fieri possit, declaretur quid ea de re statuendum sit.

E Litteris:

Exhibeatur narratio de JOHANNIS GEORGII GRAEVII vita iisque praesertim ipsius scriptis, quae ad res Patriae illustrandas pertinent.

Certaminis campus aperitur omnibus Academiarum et Athenaeorum, in Regno Neerlandiae civibus, qui hoc ipso anno tertium litterati curriculi annum ingressi sunt.

Commentationes aliena manu scriptae omnesque latina oratione conficiendae (nisi quod in responsis ad quaestiones e Philosophia Naturali propositas, si placuerit, vernaculo sermone uti licebit), ante diem X m. Januarii MDCCCXLVIII, sine professorum expensis mittuntor ad ANT. VAN GOUDOEVER V. Cl.; singulae lemmate inscribuntor adjunguntorque scidulae obsignatae auctorum nomina continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

De acceptis commentationibus judicium publice pronuntiabitur optimorumque responsorum auctoribus praemia tribuentur ipso die Academiae natali, anno MDCCCXLVIII.

INDEX SCRIPTORUM

A

GUIL. WENCKEBACHIO

EDITORUM.

1822. Commentatio ad quaestionem physicam a nobil. disciplin. mathematicarum ac physicarum ordine a. 1821 propositam: *Exponatur barometri ad objectorum altitudines determinandas destinati tum constructio tum usus;* quae praemium reportavit die 8 m. Februarii 1822, in Acad. Lugd. Batava.

1827. Beoordeeling (gezamentlijk met den Hr. Luitenant, thans Kapitein-luitenant J. C. PILAAR) van de *Verzameling van Ster- en Zeevaartkundige Tafelen ten dienste der Zeelieden*, door JACOB SWART, Leeraar der Wis- en Zeevaartkunde te Amsterdam; thans Lector in de Wis- en Zeevaartkunde aldaar, bewaarder en beheerder der tijdmeters van 's Rijks Zeemagt, en lid van de Commissie tot het examineren der Zee-officieren, adelborsten en stuurlieden enz.; in de *Bijdragen tot de Natuurk. Wetensch.* door VAN HALL, VROLIK en MULDER, IIe Deel (1827), 1e stuk, blz. 181—221.

1828. Beoordeeling van A. C. HAZEWINKEL's *Handleiding om op verschillende wijzen de breedte buiten den middag te vinden* enz. alsmede van R. LOBATTO, *Nouvelle Méthode pour calculer la latitude par deux hauteurs du soleil, prises hors du méridien;* in de *Bijdragen* enz. IIIe Deel (1828), Boekbesch. blz. 93—104.

1829—32 Verscheidene beknopte wetenschappelijke berigten in de *Bijdragen* enz. van VAN HALL, VROLIK en MULDER.

1830. Disputatio mathematica inauguralis de pontium lapideorum forma et mensuris ex aequilibrii doctrina determinandis; pro gradu magisterii et doctoratus etc. in Acad. Rheno-Trajectina defensa die 28 Maji 1830. *Amstelod.*

1833—38. Verscheidene beknopte wetenschappelijke berigten in het *Natuur- en Scheikundig Archief*, in 1833 door G. J. MULDER aangevangen, van en met 1836 (IVe Deel) door dezen gezamentlijk met W. WENCKEBACH uitgegeven.

1835. Over PETRUS ADSIGERIUS en de oudste waarnemingen van de afwijking der magneetnaald, in *Nat. en Scheik. Archief*, IIIe Deel, blz. 267—289.

1836. Waarnemingen van de dagelijksche veranderingen in de afwijking der magneetnaald te 's Gravenhage. *Archief* IVe Deel, blz. 42—78 en 240—267.
Beschrijving van den magnometer van GAUSS, blz. 123-150.
1837. Verandering der magnetische afwijking te *Breda*, waargenomen gedurende het noorderlicht van 18 Februarij 1837. *Archief*, Ve Deel, blz. 17—27.
Over de regelmatige dagelijksche verandering in de drukking van den dampkring, volgens barometer-waarnemingen gedaan te *'s Gravenhage*. Ibid. blz. 143—160.
Uitkomsten uit in Nederland gedane weerkundige waarnemingen. Ibid. blz. 331—433.
Dagelijksche veranderingen van de afwijking der magneetnaald te *Breda*, gedurende het jaar 1837. Ibid. blz. 513-545.
Temperatura regni Batavi in *Disquisitione geographico-botanica de plantarum regni Batavi distributione*, *auctore* F. A. W. MIQUEL. Lugd. Batav. 1837. Proleg. p. XIV—XXIX.
1838. Uitkomsten uit weerkundige waarnemingen gedaan te *Paramaribo* door H. H. DIEPERINK. *Archief*, VIe Deel, blz. 65—86.
Aard-magnetische waarnemingen, gedurende het jaar 1838 te *Breda* gedaan. Ibid. blz. 217—238.
Meteorologische waarnemingen te *Breda*, gedurende het jaar 1838. Ibid. blz. 239—258.
1838 vereenigde zich WENCKEBACH met F. A. W. MIQUEL en G. J. MULDER tot de uitgave van het *Bulletin des sciences physiques et naturelles en Neerlande.*
Variations de l'aiguile de déclinaison, pendant l'apparition de l'aurore boreale du 18 Février 1837, observées à *Breda*. *Bulletin*, année 1838, p. 22—23.
Sur la variation diurne dans la pression de l'atmosphère. Ibid. p. 24.
1839. Résultats d'observations météorologiques, faites à *Paramaribo* par M. DIEPERINK. *Bulletin*, année 1839, p. 1—8.
Comparaisons des variations diurnes de déclinaison et de température, observées pendant l'année 1838 à *Breda*. Ibid. p. 257—265.
Résultats des observations météorologiques, faites à *Breda* pendant l'année 1838. Ibid. p. 273—283.
1840. Résultats des observations météorologiques et magnétiques, faites à *Breda* pendant l'année 1839. *Bulletin*, année 1840, p. 149—163.
Sur les variations de la pression moyenne annuelle de l'atmosphère. Ibid. p. 226—285.
Natuurkundige stellingen voor de kadetten der artillerie en genie. *Breda.*
1841. Over de gemiddelde luchtdrukking in Nederland en derzelver veranderingen gedurende de verschillende maanden van het jaar. *Het Instituut*, 1841, blz. 275—304.

1842. Natuurkundige stellingen voor de kadetten van alle wapenen. *Tweede* druk. *Breda.*

Over eene verbetering van den gemiddelden barometerstand wegens de hoogte van de waarnemingsplaats boven de zee. *Het Instituut*, 1842, blz. 267—270.

Over het bestaan eener achttienjarige periode in de gemiddelde jaarlijksche hoogte van den barometer. Ibid. blz. 271—274.

Beoordeeling van het werkje van A. VAN BEEK: *Aanmerkingen op eene proef over het golvenstillend vermogen der olie* enz. *Utrecht*, 1842. *Algem. Konst- en Letter-bode*, 1842, IIe Deel, blz. 343—346.

Brief aan de Redactie van den *Algem. Konst- en Letterbode.* Ibid. blz. 456—458.

1843. Meteorologische Beobachtungen in *Breda*, in J. LAMONT's *Annalen für Meteorologie* etc., Jahrgang 1843, VII Heft, p. 90—96.

Sur la température moyenne et ses variations annuelles, mensuelles et diurnes en Neerlande. *Het Instituut*, 1143, blz. 311—364.

1844. Resultate aus den Meteorologischen Beobachtungen in *Breda*, 1843, in J. LAMONT's *Annalen für Meteorologie* etc., Jahrgang 1844, IX Heft, p. 117 *)

Meteorologische waarnemingen te *Buitenzorg* op het eiland *Java*, door P. L. ONNEN; bewerkt door W. WENCKEBACH, in *Nieuwe Verhandelingen der eerste klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut.* Xe Deel, blz. I—XIV en blz. XVIII—XXXVI.

Uittreksel uit de meteorologische waarnemingen, gedaan aan boord van Z. M. korvet *Boreas*, op eene reis naar O. I. en terug, door den Kapitein ter zee J. BOELEN en den Luit. der 2e kl. BRUTEL DE LA RIVIÈRE, medegedeeld door W. WENCKEBACH; *Utrecht.*

J. K. HASSKARL, Meteorologische waarnemingen, gedaan op eene reize van Java naar Nederland, medegedeeld door W. WENCKEBACH. *Het Instituut*, 1844, blz. 299—306.

1846. Over de dagelijksche verandering der magnetische declinatie te *Breda*. *Het Instituut*, 1846, blz. 259—274.

Sur la direction et l'intensité moyenne du vent en Neerlande et leurs variations tant régulières qu'irregulières; in *Nieuwe Verhandelingen der eerste klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut.* XIIe Deel, 1e Stuk, blz. 17—66.

---

*) De staking de uitgave van LAMONT's *Annalen für Meteorologie* etc. heeft WENCKEBACH belet eene vergissing, in zijne opgave ingeslopen, te herstellen. Zijne ingezondene waarnemingen voor de maanden Julij, Augustus, September en October behooren tot het jaar 1842, niet tot het jaar 1843.